

QUESTIO XXXIII.

Quare Christus Dominus in premian- dis justis dicitur Agnus; in ab- stergendis suorum lachry- mis, Deus?

275. Christus D. miro pietatis affectu, ve- luti vices patris, ac matris agens, a suorum oculis abstergit lachrymas. Haymo. Deus omnipotens, ait, mero pietatis affectu, aliquando patrem, aliquando matrem se ostendit; quia plangentium filiorum lachrymas abstergit: hinc, ut pater aversos filios revocat, dicens. Jerem. 3. Convertimini filii revertentes, & sanabo avertiones vestras: Materna quoque viscera pietatis transcendens, ait, nunquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? etsi illa obita fuerit, ego nunquam obliviscar tui. Isai. 49. num. 15. Ecce amat ut pater, ecce misereatur etiam ultra matrem: lachrymasque tergit ab oculis electo- rum.

Et fat videri poterat, ad divinam clemen- tiam quod Angelo, Cherubim, vel Seraphim committeret, ut suorum abstergerent lachry- mas; tamen per se ipsum hoc munus exhi- bere dignatur, & lachrymarum dignitati, ac excellentiae attendat, quae nullum alium ha- bent absterforem nisi tantum ipsummet Deum; unde eleganter ait D. Bern. inde clamat: Felices lachrymae, quas benigna manus conditoris abstergit; & beati oculi qui in talibus lique fieri solentibus legerunt.

276. Et nota, quod justus in hac vita dicitur ha- bere lachrymas; & cum de his sit mentio in pa- tria tantum dicitur lachryma in singulari. Da- vid de se loquens in via, ait Psal. 6. n. 7. Labo- ravi in gemitu meo lavabo per singulas noctes le- tum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Jerem. 9. n. 1. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum. Et iterum n. 18. Deducant oculi nostri lachrymas, & palpebrae nostrae defluant aquis. Si ergo in via dicuntur la- chrymae, cur & in patria lachryma tantum est? Absterget Deus omnem lachrymam. Quia cum manus remuneratoris accedit, tanta gloria ful- gurat, & coruscatur, ut largissimi lachrymarum fontes, instar unius lacrymulae appareant, praeter tanta gloria adepta, omnis lachrymarum copia brevis, & angusta est.

277. Quae tamen est, quare in praesenti, cum

278.

de justorum premio agitur, Christus Dominus dicitur Agnus; & Agnus deducet eos ad fontes aquarum; hoc est ad laeves torrentes aeternae beatitudinis? at verò cum de afflictorum consolatione, ac abstergendis, eorum lachrymis est sermo; Deus appellatur; Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Cur ergo in praemiis concedendis, Agnus est, in suis verò consolandis, Deus?

Respondeo ad quaestionem, quod quando dicitur, Agnus deducet eos ad fontes aquarum, sermo est de premiandis justis, ob eorum praeciara merita; ac cum scribitur, absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, de afflictorum consolatione agitur. Hinc in praemiis conferendis dicitur Agnus: In consolatione afflictorum Deus; quia magis, ac magis Christus suam maiestatem ostentat in sublevandis ac recreandis afflictis, quam in benemeritis hono- randis, ac extollendis.

Cum aliqua quaerimonia exorta essent in populo circa tumulum Sacerdotium Aaronis; ut Deus omnem tumultum sedaret, mandat Moysi, ut ab universis Principibus Israel sumeret virgas, ut reponerentur in tabernaculo fe- deris; hac declaratione, quod illa virga, quae efflueret, illius esset summum Sacerdotium, Sequenti die regressus invenit gemisse virgam Aaron in domo L. vi. Num. 17. num. 18. Contigit etiam aliquando, quod cum populus maxi- me concitatus rebellaret contra Moysen, & Aaron, ita ut omnes saxa in manibus haberent ad eos lapidandos: Cumque clamaret omnis mul- tudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tabernaculum fedus filii Israel Num. 14. n. 10. Interlinealis explicatio: Ma- jestas Domini texit eos nubibus. In omnium oculis ab ipso stans culmine splenduit Nubes; quae maiestatis Divinae praesentiam testabatur, suos servos afflictos protegens, & a persecutoribus gloriose defendens; quam defensionem, & protectionem clarissime nubes protendebat. Valdè sanè mirum; pro conferenda summa dignitate Pontificia, una virga effloret; pro de- fendendis, & tuendis Ducibus Israel ipsamet gloria Dei, ac maiestas sese ostentat, ac in pu- blicum prodit; Dignitas conferebatur pro praeci- claris meritis Aaroni; gloria verò Domini ad- erat pro tuendis, ac protegendis suis. Cervis in angustia, ac oppressione positus; pro praemiis una virga, pro afflictis tota gloria, tota- que ejus maiestas Domini apparet; ac si hac magis se declaret, & manifestet in veritate, ac oppressis subveniendis, quam in praemiis etiam largiendis, etiam pro dignè prome- ritis.

279. Magis ostenditur maiestas D. i. in subveniendis oppressis.

Deus magis ostenditur in patrocinandis miseris, quam in praemiis dandis.

CAPUT OCTAVUM.

APERITUR septimum sigillum, in quo continentur multa, & magna, quae explicantur per haec quatuor capita, usque ad caput 11. In quibus, sicut superiori cap. explicata sunt felicitas eorum, qui signati sunt ab Angelo, sic & in his infelicitas eorum, qui ab eo non sunt signati, simulque proponuntur multi, & variis evenus Ecclesiae, & in hoc capite describitur, quomodo reserato septimo sigillo, factum est silentium in caelo; prodeunt septem Angeli cum septem tubis, ex quibus quatuor priores signa dant.

Apoc. 8. n. 1. Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in caelo, quasi mediae horae.

QUESTIO I.

Quare hoc silentium factum est in caelo, quasi per mediam horam, & quid significet?

VERSIONES.

Syrus. Et cum aperuisset sigillum illud septimum, &c. tanquam dimidio horae. Arabicus. Factum est tunc temporis silentium, & quies in caelo, media ferme hora.

Pro exacta huius quaestionis intelligentia, aliqua in ejus limine sunt praenotanda, & praed, quod hoc sigillum non consistit in ipso silentio tantum, ut dixerunt Joachim. Beda, Rupertus, & alii. Nam silentium refertur ad plagas sequentes, earumque causa factum est, ut dicam infra in resolutione istius quaestionis, & idè est circumstantia sigilli, seu plagarum, & non illius materia, ut tenent Andreas Caesariensis, Aretas, Ribeira, Aretas, Viegas, Cornelius, Alcazar, La Haye, & alii.

Secundo praenotandum, quod hoc silentium sicut & caetera, quae describuntur in his sigillis, non sequuntur, sed praecedunt Antichristum, ut patet in sexto sigillo, & in his, quae in hoc sigillo dicuntur; & alia ipsum Antichristum concomitantur, ut constat ex his, quae dicuntur cap. 11. de Elia, & Henoc. in quo hoc septimum sigillum terminatur; quid hoc silentium significet, & cur factum sit praesens quaest. inquirat.

Primo aliqui cum D. Ambr. Hoc silentium referunt ad nativitatem Christi, qui cum silentium tenerent omnia natus est, & inchoavit silentium pacis, quod Nero sua persecutione abrupit D. Ambros. Per silentium ait, pax, quae ab Octaviano Augusto, Christo nascente, per universum orbem facta est, designatur; media autem hora silentium factum est; quia pax, quam Ecclesia in initio fidei apud paganos habuit, paucò tempore mansit. Tamen revera hic nihil de nativitate Christi, ac pace Ecclesiae, agitur.

Secundo. Haymo, Ansbertus, transferunt hoc silentium non excedens quasi mediam horam, ad quietem contemplationis, quam ob nostram imbecillitatem non sumunt esse longas animi evagationes. In qua sententia Petrus

EXPOSITIO I.

Cum aperuisset, scilicet Agnus, sigillum septimum, quod amplam materiam continet, usque ad caput 22. inclusivè; hoc autem sigillum non constat tantum in silentio, quod est circumstantia illius, sed potius in visione septem Angelorum, insignentium septem plagas factum est silentium in caelo, per quod silentium indicatur admiratio, & stupor sanctorum considerantium tot calamitates, ac haereses in Ecclesia; exindeque poenas impiorum eis impositas, quae in hoc septimo sigillo continentur, cum non sint signati ab Angelo, ut dixi in argumento. Quasi media hora; Arabicus: media ferme hora. Nam silentio venerantes iudicium divinum, statim erumpunt in ejus laudes.

Arabic.

Joachim. Beda. Rupert. Caesariens. Ribeira. Aretas. Viegas. Arias.

Apoc. 11.

Christo nascente, pax in toto mundo.

Haymo. Ansbert.

R. C. Cens.